DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

EDMUNDUS GLOVER,

HIBERNUS,

SOCIET. REGIAE PHYS. EDINEN.

SOCIUS HONORARIUS.

Aggrediar non tam perficiendi spe quam experiendi Voluntate.

CICERO.

Ad diem 12. Sept. hor. loc. sol.

Edinburgi:

CUM PRIVILEGIO, APUD ALEX. SMELLIE.

1805.

AMICO CARISSIMO,

REVERENDO

FREEMAN CROFTS

DE CHURCHTOWN,

IN COMITATU CORKAGIÆ,

VIRTUTIBUS MORUMQUE SUAVITATE,

ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS,

QUÆ HOMINEM EXORNANT

CONSPICUO;

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM

PRIMITIAS CALAMI JUVENILIS,

SINCERUM SED PERTENUE

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

SACRUM VULT,

AUCTOR.

NEC NON

JOANNI BARRY, M. D.

DE MALLOW

IN COMITATU CORCAGIÆ,

NON MINUS

SCIENTIA MEDICA

QUAM

ANIMI PROBITATE

ET MORUM SUAVITATE

INSIGNI,

OPUSCULUM HOCCE

SUMMAE OBSERVANTIAE

PIGNUS

D. D. CQUE.

AUCTOR.

to A. Ogilvie with
many compliments fro
author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

Raro in hisce regionibus occasiones nobis se offerunt morbum de quo in dissertatione sequenti tractare proponimus observandi, utpote qui, in coelis fervidis multo saepius, et sub forma multo graviore occurrit; enim vero hic exempla identidem videmus quae omnes conatus medici peritissimi frustrantur. Antequam, ad morbi historiam tractandam progrediamur haud supervacaneum erit definitionem aliquam proponere qua melius designetur, et nulla equidem illae anteponenda

videtur quae a celeberrimo CULLENO in nosologia ejus profertur;—"Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes mucosae vel sanguinolentae retentis plerumque faecibus alvinis, tormina, tenesmus."

I.

HISTORIA MORBI.

DYSENTERIA versus finem aestatis frequentissime se prodit, et per menses autumnales saeviens appropinquante hieme recedit. Interdum, grassantibus febribus intermittentibus apparet, et saepe cum illis connectitur vel earum formas assumit. Aggressio ejus nonnunquam subita est et violens, aliis temporibus tarde et gradatim impetum facit. Cum languore et lassitudine plerumque incipit, quas excipiunt rigores, dein calor auctus, sitis urgens, capitis, dorsi, et lumborum dolores. Haec symptomata cito sequuntur nausea et vomitu materiae biliosae cum anorexia, sapore oris amaro et pulsu citato, nunc inflatione vexatur aeger et torminibus gravissimis praecipue circa umbilicum,

desiderio

desiderio perpetuo alvum dejiciendi. Interdum vero pyrexia ita levis est ut vix percipi possit, interdum omnino abest, torminibus et tenesmo subito aegrum aggredientibus.

Haud raro diarrhoea levis morbum praegreditur, in quibusdam exemplis symptomata febrilia totum morbum comitantur, praecipue ubi terminatio lethalis evadit, in aliis vero omnino cessant manentibus signis dysenteriae propriis. Dejectiones in diversis casibus et diversis morbi periodis variae sunt, nonnunquam prorsus mucosae, unde quibusdam morbus mucosus, aliis dysenteria alba vocatur, plerumque tamen plus minusve sanguinolentae sunt, et haud infrequenter sanguis purus nec parva quantitate evacuatur. Fimbriae membranaceae et massae quaedam sebaceae caseum referentes saepe excernuntur, haud certum videtur utrum hae membranae partes revera sint tunicarum intestinorum, vel ex muco indurato formentur. Verisimile est plerumque esse mucosae, interdum tamen partes tunicarum excerni sane videntur ut in exemplo a * Dr SIMPSON narrato

* Vol. VI. Med. Essays.

rato ubi per membranas fibrae et vafcula erant diftributa.

* Tulpius etiam cafum hominis narrat, qui intra unam hebdomadem totam tunicam villofam recti dejiciebat et fanatus fuit. Dejectionibus fic variis raro quidem admifcentur faeces naturales, vel fi interdum appareant formam fcybalorum affumunt quibus evacuatis aliquatenus levantur tormina et tenefmus. Febris quae dyfenteriam comitatur varii generis eft, nonnunquam inflammatoria eft, cum pulfu pleno et forti, faepius autem formam typhoideam induit cum fignis omnibus debilitatis. Urina in hoc morbo varia eft interdum nigra et denfa, alio tempore limpida, faepe ftranguria occurrit, et prorfus fupprimitur.

Si morbus curfu haud fiftatur omnia fymptomata antea dicta ingravefcunt et alia magis periculofa fuperveniunt.

Petechiae et vibices variis partibus corporis cernuntur, fauces apthis obfidentur deglutitionem impedientibus, tenefmus fit conftans et conatibus ad

* Vid. Tulp. Obfervat. lib. 3. obf. 17.

ad alvum dejiciendum frequentibus prolapsus ani inducitur, abdomen tumet, aeger oppressionem magnam circa praecordia sentit, pulsus debilis fit et irregularis, facies pallida, vultus collapsus, dolor subito cessat et dejectiones putridae insciae redduntur, sudores frigidae singultus et delirium superveniunt, et mors cito sequitur.

Duratio dysenteriae diversa est in diversis exemplis, in casibus quibusdam violentis paucis diebus in morte terminatur, plerisque autem per hebdomadas tres vel quatuor perstat, quando vero hac diutius permaneat vel quando neglecta sit, morbus chronicus plerumque evadit et difficillime sanatur.

DIAGNOSIS.

Duo solummodo sunt morbi cum quibus dysenteria confundi potest; diarrhoea scilicet et cholera, et ab his varia sunt symptomata quae sufficiunt ad diagnosin; diarrhoeam febris primaria nunquam comitatur, quae semper in dysenteria (etsi

aliquando

aliquando valde obſcura) ſe oſtendit; nec diarrhoea unquam ex contagio oritur: in his morbis etiam alvi evacuationes multum inter ſe differunt; in diarrhoea multo copioſiores ſunt, minus faetidae cum minore muci mixtura, nec tormina et teneſmus adeo urgent quae dyſenteriam optime deſignant.

Symptomata ſunt etiam quibus ab cholera diagnoſin facile formare liceat; in cholera calor et anxietas circum praecordia citius invadunt, inferiorum ſpaſmata frequenter vexant, celerius curſum hic morbus exequitur et demum ſymptoma proprium ejus vomitus ſcilicet et dejectiones bilioſae dyſenteria omnino abſunt.

PROGNOSIS.

Prognosin in hoc morbo cautè formare debemus; eventum tamen fauſtum expectare liceat ſi dejectiones etſi frequentes ſine dolore reddantur, ſi tormina et teneſmus levia ſint, ſi nauſea vomituſque haud multum urgeant, ſi febris mitis ſit, et morbus recens, ſi faeces ad ſtatum natura-

lem

lem paulatim redeant, lingua munda evadente; cum cibi appetentia et ad ſomnum modica proclivitate.

Si e contrario omnia haec ſymptomata ingraveſcant, ſi febris formam typhoideam inducat; ſi dejectiones admodum foetidae ſint, pulſus frequens, debilis, intermittens, cum delirio, petechiis, vibicibus, ſingultu, extremorum frigore, vultu pallido, ſudoribus frigidis, viſcoſis, doloris ſubita remiſſione. Si demum urina et faeces inſciae reddantur mortem haud longe diſtare praedicamus. Quando morbus in ſtatum chronicum provehitur, eventus lethalis ſemper timendus ſit, ut bene teſtatur Dr DONALD MONRO, cujus obſervationes confirmat Dr CLEGHORN.

SECTIO CADAVERUM.

AD naturam morborum explicandam multum conferunt phoenomena quae ſectio cadaverum oſtendit; et in nullo forſan utilitas ejus clarius ſe oſtendit quam in dyſenteria. In omnibus fere qui ſub hoc morbo perierunt inteſtina partim ſaltem

praeter

praeter naturam spissata inflammata et aere inflata reperta fuere; aliquando etiam ulcerata et gangrena correpta praesertim circa colon et rectum, in quorum tunica interna nonnunquam observantur vesiculae membranaceae materia putrida et foetida refertae; hic etiam reperiuntur haud infrequenter tubercula eruptioni variolae similia, in hoc vero discrepantia quod firma sunt, et nullum fluidum interne tenent. Celeberrimus CLEGHORN dicit, "frequenter reperi intestina magna vel omnino gangrena correpta vel partim inflammatione partim gangrena affecta recto plerumque maxime laborante. In multis vidi tubercula schirrosa coli cavitatem coarctantia, in paucis ulcuscula fuere parva in membrana cellulari peritonei juxta colon et rectum."

Intestina interdum parva sana videbantur, frequentius vero sub ima praecipue parte inflammata, convolutionibus eorum saepe praeternaturam sibi invicem adherentibus ope membranaceae materiae qualis frequenter in thoraci observatur adhesione facta inflammatione pleuram inter pulmonalem et costalem. In

duobus

duobus cadaveribus omentum fere omnino tabefactum fuit, dum quod reſtabat nigrum erat, cavo abdominis eodem tempore materiem purulentam continente. In quibuſdam omentum inflammatione laborabat, et inteſtinis et peritoneo agglutinabatur; veſicula fellis haud raro bili nigro repleta fuit et ſplen plus minuſve putrefactum. Multa et varia ita videmus ſunt phenomena quae diſſectio oſtendit, ut in uno verbo dicere liceat ut nulla pars eſt viſcerum abdominalium, quam in hoc morbo variis modis inflammatione ejusque ſequelis affectam aliquando non videamus.

CAUSA PROXIMA.

De proxima cauſa dyſenteriae duae ſolummodo opiniones attentione noſtra dignae mihi videntur, prima et quae maxime valere videtur eſt opinio celeberimi Culleni, videlicet proximam cauſam magna ſaltem ex parte ſpaſmodicam conſtrictionem coli eſſe, quae deorſum tendens dejectiones mucoſas frequentes producit cum torminibus, et

B tenesmo,

teneſmo, quae fere urgent. Haec opinio a multis rejicitur utpote quae phenomena quae in morbi progreſſu occurrunt explicare haud ſufficit; haec conſtrictio inſuper dicunt minime in omnibus cadaverum ſectionibus obſervatur.

Altera opinio et quae vera mihi videtur morbum tribuit inflammationi propriae tunicae villoſae inteſtinorum, quae variatur ſecundum ſtatum conſtrictionis partis, huic theoriae favet Dr Monro.

1. Ab fautoribus ejus dicitur ſectionem cadaverum ſemper oſtendere inteſtina plus minus inflammata, et inflammationis ſequelas, ulcerationem, ſuppurationem, gangrenam, &c.

2. Conſtrictionem ubi ſe oſtendit inflammationi originem debere.

3. Symptomata omnia huic opinioni aeque ac alteri favere, et huic etiam methodum curandi melius congruere.

CAUSAE REMOTAE.

Causae remotae in praediſponentes et excitantes dividere mos eſt, priorum ſunt omnes hae

caufae

causae quae ullo modo corpus debilitant, et morbo opportunum reddunt, veluti exercitatio nimia, inebrietas, venus immodica, et multae aliae quas hic enumerare supervacaneum foret. De causis excitantibus multum medici discrepant, semper a contagio oriri a quibusdam strenue asseritur, aeque fidenter alii affirmant contagium nunquam morbum inducere, dum alii cursum in medio dirigunt; et nunc contagio nunc aliis causis tribuunt. Bilis morbide auctam secretionem ZIMMERMAN, causam aliquando excitantem esse putavit; una autem opinio est de causa excitante maxime attentionem merens, quae videlicet dysenteriam eaedem causae ac febres intermittentes ascribit. A. PRINGLE observatum fuit, ut versus finem aestatis, et initium autumni quando militum numerus nocturnis vaporibus se objicere, vel humidis et palludosis locis recumbere praecipue, si calor per diem ingravescat, cito corripiuntur nonnulli intermittentibus alii dysenteriâ. In hujus morbi exemplis hoc auctore traditis certum facere difficile videtur utrum ex miasmate vel ex frigore humiditate conjuncto, morbus ortum duxit, causa posterior

vero

vero majus verisimilis videtur. De viribus contagii in dysenteria inducenda multa exempla tristia proferre possumus, satis experientia et observantia peritissimorum confirmata.

Culleno tamen dissentire me fateor huic causae solae* dysenteriam semper tribuenti.

Ex frigore cum humiditate conjuncto ortum, aliquando ducere hunc morbum mihi haud dubium videtur, ut auctores multi celebres ample testantur.

METHODUS MEDENDI.

Inter remedia quibus maxime confidunt medici sanguinis detractionem laudare usitatum est, et exempla† haud pauca decantata ubi hoc remedium plurimum prodesse visum est. At remedium etsi unicum sit quod aegrum aliquando salvum praestare possit, nihilominus confitendum, his saltem regionibus rarissime necessarium. In junioribus

* Vid. Pringle et alia.

‡ Audi Praelect. Dr Gregory, et vide Mosley on Topical Diseases.

junioribus et plethoricis praecipue indicatur, praesertim, si dolores urgent, et febris vel inflammatoria, vel inflammationibus topicis complicata, tunc optimos edere dicitur effectus, et in aliquibus casibus pulsum tardiorem et pleniorem reddere observatur.

In hoc morbo curando emetica similiter a nonnullis cum beneficio usurpata fuere, et etiam his celeberrimus ZIMMERMAN dysenteriam pessimi generis se solvisse dicit. Sed mea sententia tantum utilia sunt cum a ventriculo aeger laborat, vel cum ita exhibita ut munera emetici et cathartici simul praestant, et pro primo vel saltem maxime momentoso habeo consilio prava intestinorum contenta deorsum detrudere. Ad hoc respondendum varia purgantia laudata, sed oleum ricini et sales medii primas sedes tenent, et medici expectationem rarissime aut nunquam fallent; his alvus plene solvenda et postea oportet. H. anod. h. somni ad irritabilitatem levandam praescribere, et in hac alternatione usque ad curationem perstare de quo certiores tantum esse possumus cum sellae speciem naturalem induerent; purgantium operatio emulsionibus

ſionibus mucilaginoſis et enematibus emollientibus multum adjuvatur, haec inteſtina eluunt, ab acrimonia defendunt, et ad tormina levanda magna vi pollent; ad hunc poſtremum effectum conſequendum cum opio conjungi debent.

E re aegri foret per totum morbum meatus corporis ope ipecacuanhae recludere, hoc medicamentum eximium omnibus aliis antepono, nam rite exhibitum munere non ſolum diaphoretici ſed cathartici praeſtare poſſit. An hydrargyrus ita exhibitus ut corpus efficiat? In dyſenteria omnibus prae aliis morbis debilitas citiſſime aegrum opprimit, vires ideo alimentis teneribus nutrientibus, et facile concoctis ſuſtinendae, et etiam febre typhode urgente, vinum et alia uſitata remedia larga manu praeſcribenda ſunt; ſi flatus aegrum tentaſſet aſſafoetida haud ſine commodo praeſcribi poſſit. His remediis internis praefatis reſtat ut de externis pauca diſſeramus. Fomenta abdominis ad tormina levanda, et balneum tepidum ad ſuperficiem detergendam et relaxandam,* et

* Swathing the abdomen with flannel bandages is warmly recommended by Dr Dewar.

et indusia lanea haud parvo commodo usurpantur, mundities ventilatioque summi sunt momenti, dijectiones protinus removendae, cubicula fumiganda, vestimenta saepe mutanda sunt. Convalescentes ab intemperantia et frigore et omni irritatione cavere oportet; ratio dietae utique habenda est, et vires aegrotantis omnibus consuetis modis confirmandae.

FINIS.